

## ***VIR CUM SACCO AD IULII VILLAM ADVENIT***

In parvo cubiculo suo Iulia super lectum iacet. Dum dormit, canem suam Margaritam latrare audit, itaque oculos aperit atque circum se aspicit, sed nullum hominem videt, ergo quieta oculos claudit. Per hortum autem servus sine pecunia, cuius nomen est Lucius, ambulat. Is formosus non est: nasus eius enim foedus est ac color dentium est niger, is crassus quoque est atque capillus eius ruber est. Lucius umeris suis saccum vacuum vehit, nam is capere magnam pecuniam Iulii vult. Itaque servus adit ad cubiculi Iuliae fenestram et in villam intrat. Iam apud parvae puellae lectum est, lectus autem ab eo videri non potest, quia sol in caelo non lucet, ergo homo in umbra se movet. Itaque lectum pede pulsat, Iulia oculos aperit, magna voce clamat. Lucius manum in eius os imponit, sed clamor Iuliae auditur ab Urso servo, qui accurrit. Cum ostium aperit, servus eam interrogat: «Quid est, Iulia? Dormi!» Ea, quae respondere non potest, mordet digitos hominis, qui clamat: «Ahi! Ahi!» Ursus: «Haec vox Iuliae esse non potest. Quis adest?» Iulia irata: «Stulte, age, sume baculum, quod illic in mensa est, et hunc hominem verbera!» Lucius perterritus puellam imponit in umeros (ita is ab Iulii servo pulsari non potest), atque fenestra exit. Sed puella tam crassa Lucii umeris sustineri non potest, ergo de iis cadit ac vir improbus quoque cadit. Iam ii in terra iacent, neque se movent, crura enim eorum aegra sunt. Ursus ad eos accurrit et Lucius ab eo verberatur. Iulius, qui non procul a filiae suae cubiculo dormit, clamores audit atque ad filiae cubiculum adit. Spectat lectum vacuum et aspicit Ursum alium hominem verberare in horto, itaque interrogat: «Urse, quis est ille homo? Ubi est filia mea?» Iulia: «Filia tua hic, prope magnam arborem, est! Veni!» Iulia patrem suum eam portare in lectum iubet, quia ea ipsa ambulare non potest, atque Urso imperat: «Duc illum hominem malum e villa et medicum arcesse!» Iulius Ursusque parent. Pater brachiis filiam suam portat et ei osculum dat, sed sanguis ex Iuliae ore fluit, nam duo dentes eius in herba iacent. Parva puella autem viva est et saccus Lucii vacuum est, ergo dominus probus et pecuniosus laetus esse potest.

*Jasmine Mazza*